


REFERENTES IMAGINES ET

Emblemata Principum : quorum in subjectâ belli
 Alsatici Historia fit mentio : cusi Anno
 Christi 1592. & circiter.



Iohannes Georgius Marchio Brandenburgensis, Joachimi Friderici Administratoris Primatus & Archiepisc. Magdenburgensis filius, Avo Johanni Georgio Electori ὁμόνομο, cum adolescens Argentinæ studiorum gratiâ versaretur, à Canonicis Argentinensibus, qui ob reformatæ religionis studium, imprimis verò (ut dictum superius) ob navatam Gebhardo Truchsesio Archiepiscopo Coloniensi in suo bello, operam, per Episcopum Vercellensem nun-

cium Pontificium prius excommunicati, & ob id à cæteris Pontificiis exclusi, primi Curiam fratrum sive ædes Capituli in urbe occupant, 20. Maij Administrator Episcopatus Argentinensis electus est, Joanne Episcopo, Comite Manderscheidio, paulò prius apoplexiâ extincto. Hi per Joachimum Carolum Ducem Brunsvicensem Præpositum, die ad Electionem novi Episcopi prius constitutâ, Pontificios Argentinam, utpote locum ordinarium, & antiquitus ad id destinatum vocavêre quidem: at Decanus & Canonicorum Pontificiorum pars major Tabernis Alsaticis (vulgò Zabren) convenêrunt: tutum non esse arbitantes electionem Argentinæ fieri: Imperatorem vero de morte sui Episcopi certio rem factum rogârunt, sibi ut curam hujus Diæceseos commendatam haberet. Cæsar rescribit se brevi legatos missurum, qui illam administrent, donec novus Episcopus eligatur, utque omnia oppidula, arces & loca munitiora Diæceseos diligenter custodiant, nec cuiquam absque suo consensu eadem patefaciant, imperat. Brandenburgense contra, electione acceptâ, post biduum ad omnia loca Episcopatus subjecta scribit, obedientiam incolis sibi ut Episcopo debi-